SEDECIAS
TRAGOEDIA

AUTHORE

THYRRO CREOPOLITA

P. A.

Assist. Galliæ Soc. Jesu



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMAN.

ROMÆ, MDCCXXXVIII.

Apud Franciſcum Antonium Anſillioni in via Coralli, propè Eccleſiam Novam.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Tragœdiam hanc, cui titulus Sedecias, nobis perlegendam, & examinandam traditam, poſtoritio nomine, communique ſigno edendam, & promulgandam, cenſemus.

Corſildus Alphejus
Mirrheus Ropheaticus
Lindrenus Iſuntinus

Quandò ita viſum eſt Cenſoribus, qui Tragœdiam ſuprà enunciatam perlegerunt, perlectamque probarunt, paſtoritio nomine, illam edere, communique ſigno imprimere, jus eſto. Datum ex Cuſtodia Arcadum die VI. poſt XX. Targilionis cadentis Olymp. DCXXIX. ab Arcad. inſtit. Olymp. XII. An. I.

PHYLACIDAS LUCINIANUS
Arcadiæ Gen. Cuſtos.

Loco ✠ Sigilli

Eupaltes Lampeus
S. C.

Digitized by Google

PERSONÆ.

NABUCHODONOSOR Rex Babylonis.

SEDECIAS Rex Judeæ.

HAZAEL Filii Sedeciæ.

BENASAR

NABUZARDAN Militum Aſsyriorum Præfectus.

ELISAMA Sedeciæ Intimus, & Filiorum Sedeciæ Educator.

Argu-

Argumentum.

JEroſolymis a Nabuzardano, aliiſque Ducibus Regis Nabuchodonoſoris, arctiſſima obſidione, cui peſtis, fameſque diriſſima acceſſit, poſt biennium expugnatis; Sedecias, qui Ægyptiorum amicitia fretus, fœderi cum Nabuchodonoſore inito, a quo fuerat Rex conſtitutus, turpiter renunciaverat; occulto, nocturnoque itinere, una cum filiis Urbem, illa ipſa nocte ab Aggreſſoribus, magna ex parte ſuccenſam, deſeruit. Nabuzardanus, ut primum Regem dilapſum ſenſit, fugam illius celeriter inſecutus, feliciter intercepit; eumque, & filios catenis onuſtos, Regi ſuo Nabuchodonoſori adduxit. Barbarus Rex, triſtiſſimo ſpectaculo, filios, patre inſpectante, trucidari, mox Sedeciæ ipſi oculos effodi, & inde Babylonem deportari mandavit. Ex lib. 4. Reg. c. 25., & 2. Paralipom: c. 36.

Per poeticam licentiam hiſtoriæ addimus: primò Regem Sedeciam & Eliſamam Sedeciæ Intimum, filio-

rum-

rumque illius educatorem, ad Regis fugam occultandam, veſtes commutaſſe; filios vero, etiam ipſos vulgaribus uſos indumentis, armigerorum inſtar Sedeciæ, & Eliſamæ comites ſe addidiſſe. Secundò Eliſamam Regis cultu ornatum, cum altero ex Sedeciæ filiis Ægyptum verſus; Sedeciam cum altero, in loca nemoribus conſita, & ſalebris inacceſſa iter ſuum direxiſſe. Tertiò demum omnes infelici exitu ab hoſtium manipulis huc, illuc concurſantibus, fuiſſe captos. Quæ omnia variis aguitionibus, & peripetiis ad Tragædiæ ornatum opportunis viam ſternunt.

Actus

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Sedecias. Eliſama.

Sedeciam fugæ, & mutationis veſtium ad fugam occultandam ſerò pœnitet, in ſuſcepto propoſito Eliſamæ hortationibus, & filiorum pietate obfirmatur.

Sede. OCulos reflecte. Reſpice ut Solymam vorax
Populatur ignis. Quantus heu late inſonat
Ab hoſte clamor! O Sion magni domus
Olim Tonantis, ingens tot Regum labor,
In te cruentus, pertinax odii, furit,
Raptatque Medus victor ardentes opes.
Non fletus iras cohibet, aut cupidas manus
Vulcanus arcet. Id ego ſecurus feram
Exors pericli? Non ita. In partem juvat
Cladis redire, ut eluam indecorem fugam,
Verſaque in urbe tumuler, & buſto premar
Patriæ ruentis.
Eliſ. Quò te agit præceps furor?
Sed. In arma, in hoſtes. Purpurę exutum jubar
Mihi redde citius. Vilis hæc noſtrum haud tegit
Chlamys pudorem. Strenuos inter duces,
Quos dira clades merſit, agnoſcat meum
Hoſtis cadaver, meque præreptum ſuo
Doleat triumpho.
Eliſ. Præripi incolumis potes:

Quin & futurus ultor. Excipiet ſinu
Te Pharao, amico. Rebus afflictis opem
Rex ſocius, ut ſpero, afferet.
Sed. Pactam fidem,
Commune regni dum bonum id poſcit, ſolent
Servare reges. Egomet indignum putans
Servire Medis inclytum Iſacidum genus,
Subdere & inertes colla peregrino jugo,
Renui tributa ſolvere, & rupi ſacras
Juratum ad aras fędus. Hæc noſtri fuit
Exitii origo.
Eliſ. Rex pharius eſto neget
Viroſque, & arma; tuta fugitivo dabit
Hoſpitia ſaltem.
Sed. Nempe quæ noſtris dedit
Ægyptus atavis. Niliaca mores alit
Tellus doloſos. Vincla nos illic manent:
Quin mors pudenda. Non levis cauſa eſt metus
Spoliis ſuperbus hoſtis, & latè imperans,
Noviſque regnis auctus. Hoſtiles minas,
Iraſque Pharao ut flectat, hoc caput offeret
Donoque mittet.
Eliſ. Non Scytha immane hoc nefas;
Incola nivalis audeat vel caucaſi;
Aut membra pictus, ſanguine, & equino ſatur
Acer Gelonus. Nulla gens, quamvis ferox,
Primæva neſcit jura, quæ indixit parens
Natura populis.
Sed. Ipſa nos æquat feris
Corrupta vitiis ratio.

Eliſ.

Eliſ. Sibi mens ſuſpicax
Fingit pericla ubique.
Sed. Mene ægyptiis
Fidere, fugaces quos retro vidi pedes
Referre, in illos ſigna cum vix verterant
Syriæ phalanges? An fuga hæc caruit dolo?
Voluere inani ſcilicet ſpecie, ducum
Diſtrahere curas, militum & fortes manus
Removere tutâ ab arce, numeroque impares
Trahere in aperti martis ancipitem aleam.
Eliſ. Quod captus olim cecinit Ezechiel velim
Memineris: oculis alta Babylonis tuis
Mœnia videnda nunquam.
Sed. At æque præſcius
Vates futuri Jeremias, non ſemel
Adverſa cecinit. Irrita quid ſpe tenes
Mori paratum. Sola mihi tumuli quies
Speranda Supereſt
Eliſ. „ Sæva quoſcumque invehit
„ Fortuna caſus, impavida Virtus ferat.
„ Imbellis animi eſt, fortis iratæ metu
„ Latebras ſepulcri quærere. At ſi non movet
Te cura propriæ laudis; everſæ ſalus
Te moveat urbis, quæ jacens, per te poteſt
Erigere frontem rurſus. Indociles licet,
Feraſque gentes, dulcis in patrium ſolum
Flectit amor.
Sed. Et me flectit: hinc fato illius
Supereſſe nequeo.
Eliſ. Cladibus regni, tua

Si fata jungas, eriget quis mœnia?
Quis templo honorem reddet, & noſtræ decus
Regale genti? An filii comites fugæ
Tuæque ſortis? Nemo ſed rerum inſcias,
Teneraſque mentes imbuet: Nemo gradus
Adhuc labantes fulciet. Patrem indue.
[1] En cara proles adſtat. Afflavit genis
Quantum decoris, ſemitæ inſuetus labor!
Sub vili amictu, quanta majeſtas latet,
Vel ſic timenda! Occurre in amplexum, oſcula
Vtrique nato divide. Inſontes dehinc,
Tuoſque quamvis, deſere: aut tecum trahe
In aperta fata. Quid retro vultum refers,
Prolem intuere.

SCENA SECVNDA.

Sedecias. Eliſama. Hazael. Benaſar.

Sed. Vincor. Invitus licet (habet
Rurſus timere cogor. In nos quantum
Natura juris! Regredere in patrium ſinum,
O magna ſpes olim domus, regni Hazael
Hæres paterni. Cujus at regni?... Heu dolor!
Tuque minor ævo Benaſar, amplexus pete.
Liceret utinam ſoſpites ambos meo
Sanguine tueri. Adverſa me contra Tonans
Jaculare tela: parce ſed ſoboli; meret
In-

[1] *Innuit filios venientes.*

Innocua morum ſi quid integritas.

Haz. Parens
Quid fruſtra inani conficis queſtu diem?
Fors medus inſtat. Commodas hoſti moras
Abrumpe citius.

Ben. Noſtrum erit patrium latus
Vel tegere; vel tecum mori.

Sed. Sed quam viam
Anceps capeſſam?

Eliſ. Ante ora ſe pandit duplex:
Eſt hinc in Ægyptum iter. At illinc in nemus
Undique viarum flexibus ſectum, prope
Iordanis undas. Perge veloci fuga
In hos receſſus, quò nequit Equitum phalanx
Glomerare greſſus. Tamdiu poteris ibi
Latere tutus, quamdiu iſiacæ fidem
Experiar aulę, regio cultu nitens,
Regemque ſimulans. Hazael tibi ſit comes:
Mihique Benaſar. Diſtrahi alterum ab altero
Opus eſſe duco; ęrumna ne ſi qua ingruat,
Una premat ambos. Quod caput rerum eſt, tegens
Se quiſque veſtrum, regiæ ſortis gradum
Nulli revelet. Sedeciæ ego partes agam,
Ut Pharao tacitos mente ſi voluat dolos,
Conſumat in me: Medus aut ſi inſtet celer,
Vana hæc imago regis eludat tui
Sitim cruoris. Sed moræ ſatis eſt: juvat
Abire, fruſtra ne ſit abeuntis labor.

ed. Vos aſtra teſtor, trahere degeneres dies
Ab amore prolis cogor. Hic Patrem jubet

Ad-

Adhuc metuere. (1) Nate carpe
mecum iter;
Aſsueſce fatis. Terge rorantes genas
Tu care Benaſar.

Ben. Ah Genitor, ut oſculer
Permitte dextram. Cordis obſequia hæc cape
Forſan ſuprema. Pectus heu tactum metu,
Tibique pavidum, grande præſentit malum

Sed. Male ominari deſine, & patrem novis
Confodere telis. I procul, quò te vocat
Fortuna melior. Nuſquam eris felix minus
Quam prope paternum latus.

Haz: Ubique ſis memor
Fraterni amoris.

Ben. Frater invitus tuis
Divellor ulnis.

Haz. Sic jubet fati tenor.

Sed. O fide cari pignoris cuſtos, *tuæ*
hoc mando fidei.

Eliſ. Ne time. Quantnm in me erit
Salvum reducam. Rex vale.

Sed. Quò me trahit
Pietas, futuræ ſortis ignarus ſequor.

Finis Actus Primi.

---

(1) *Hazaelem alloquitur.*

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Nabuzardan.

Jactabundus, ſibi gratulatur captum Eliſamam, quem ipſe, externo corporis cultu deceptus, Sedeciam putat.

Nabuz. NOn ſic minaci dente cum frendens aper
Se ſe in latentes induit caſſes, nemus
Clamore læto complet, & ſua vix capit
Venator amens gaudia, ut meum obruit
Lætitia pectus. Captus eſt Rex. O diem
Albo notandum calculo. O facinus novo
Dignum triumpho. Solyma nunc demum jacet;
Spes nulla ſupereſt nunc, ut erigat iterum
Turrita frontem. Prorſus excifum genus
Regum peribit. Lateat ubi ſoboles, brevi
Genitor coactus aut metu; aut vana ſpei
Allectus umbra reteget. Everſum Ilium
Quid tumida jactat Græcia, in cladem illius
Impendit annos quæ decem, & turpes dolos.
Intrepida virtus fraudis expers, temporis
Breviore curſu lauream nobis tulit.
Me duce, per altos mœnium aggeres cohors
Clypeata, ferro ſibi viam ſtravit, ruens
Illinc in hoſtes, unde metuendum nihil

Hoſtis putabat. Noſtra vel Cęlum ſequi
Potuit videri ſigna, conficiens lue
Quidquid reliquit enſis. At captus ſubit
Rex perduellis.

SCENA SECUNDA.

Nabuzardan. Eliſama. Benaſar.

Eliſamas, ſivè Sedecias ſuppoſititius mortem ſibi properari poſtulat, ne Nabuchodonoſor, qui de facie cognoſcebat Sedeciam, & cujus reditus ad Caſtra imminebat, ſimulationem detegat. Nabuzardan verò in id conatur, ut de Sedeciæ filiis certior fiat.

Eliſ. JUra qui populis dedi,
Qui vota ſupplicum audii, gemmis nitens,
Solioque fultus; nunc egens, ſceptro carens,
Supplexque, id unum poſtulo: ut properes mihi
Mea fata. Pœnas, quas rogo, tua intereſt
Exigere citius. Conſules nunquam tuo
Satis ipſe Regi; illius & nunquam recens
Diadema fronti hærebit immotum ſatis,
Hac luce donec utar. Ut repetam mea,
Mihi rapta regna, moliar quidquid furens
Obyciet animus. Forſan aggrediar, ſibi
Caveat quod ægre Victor. Audebo omnia.
„ Miſeros ſupremum reddit audaces malum.
„ Nil ferre gravius qui poteſt, metuit nihil.

Nabuz.

Nabuz. Cum laude poteras urbe in everſâ mori,
Clades tot inter poterat expleri necis,
Sera hęc cupido. At tibi per occultos ſpecus,
Cęcaſque latebras, placuit hoſtiles manus,
Mortemque fugere. Verſa nunc mens cur amat
Quod nuper odit?
Eliſ. Non ne deterius jugum
Servile letho eſt?
Nabuz. Id times? Aderit cito
Rex ipſe. Noſces dextera ut levi premat
Hoſtes ſubactos; parcere ut victis ſciat.
Metuere fluxę ſortis alternas vices,
Vincendo, didicit: quique ſe quondam extulit
Magnis ſuperbus opibus, & regno tumens,
Servare rebus cæpit in lætis modum:
Utque loquar, omnem quod fidem excedit, ſolo
Æquata jacuit vix Sion, veteres ſtatim
Depoſuit iras: quodque mireris magis,
Ubi tua lateat pulſa præcipiti metu,
Innocua proles, ſcire ſollicite cupit,
Ut reddat illi, fronte ſublatum tua
Regale ſertum.
Eliſ. Vaſtus aut Patriæ rogus
Corripuit: Hoſtis aut acerbo funere
Utrumque natum merſit.
Nabuz. Haud hęc tamdiu
Latere clades poterat.
Eliſ. Illos fors chlamys
Ignota, cultuſque rudis abſcondit.
Nabuz. Dolos

Omitte

Omitte inanes. Quod timor coget loqui
Fateare ſponte.

Eliſ. Audacius, quam te decet,
Cum Rege loqueris.

Nabuz. Sed loqui ſic me jubet
Regnator alius, cujus imperium pati
Didicere Reges.

Eliſ. Qui tamen mea jamdiu
Imperia ferret, fida Virtutis comes
Fortuna ſi foret.

Nabuz. Ita ne meas deteris
Superbe laudes?

Eliſ. Magna ſane laus fuit
Diruere Solymam, quam prius cœlum nocens,
Fameſque dira vicerant.

Nabuz. Quod ſub mea
Vexilla ſuperos compuli, vile id putas?
Quæ bella gerere mecum non puduit Deos,
Carere laude dictitas? Non Diis tamen,
Niſi fortè inermis fuerit; hæc dextra indiget.
Mea mihi virtus numen eſt, aliis ſatis
Perſpecta, nimiumque Solymę. Vanis diem
Protrahere verbis, non vacat. Paucis loquar.
Vel retege natos Rex quibus ſceptrum parat;
Vel ad ferendum compara te ipſum mala,
Inferre quotquot victor iratus poteſt.
Nil verſo in iram amore ſævius. Cave.

Eliſ. Supereſt timendum cui nihil, fruſtrà cavet.

SCE-

SCENA TERTIA.

Nabuzardan. Benaſar.

Satagit Nabuzardan, ut quam optat notitiam, ab ore Benaſaris exculpat. Sed fruſtra.

Nabuz. Subſiſte. Paucis te volo. Quod in rem tuam eſt,
Tuique Regis, conſules; ſi quæ ſilet,
Incautus ille, te loqui haud pigeat.
Benaſ. Tui
Noſco quid animi ſit. Fidem ut frangam cupis.
At perdis operam. Non is ego ſum, qui tuam
Hoc pretio inire gratiam aut poſſim, aut velim.
Uterque Princeps hinc procul, quo gentium
Se ſe recepit neſcio: nec ſi ſciam
Auſim retegere.
Nabuz. Forſitan fraudes putas
Me tegere blandis vocibus. Tuo putas
Me velle ab ore exculpere, ubi lateant; eos
Ut perimam, & omne regiæ obtruncem domus
Germen ſuperſtes. Vicimus poſtquam palam,
Cœloque teſte. Noſtra ſe poſtquam tulit
Ad aſtra virtus, nunc dolos verſem? Dolos
Struere timentis eſt. Quis imminet metus?
Quid mihi timendum ab hoſte, qui prorſus jacet,
Latebraſque quærit? Pharius at Rex, inquies,
Jacere victos non ſinet. Belli exitus

Pendebat anceps, cum retro vertit fugax,
Niliaca ſigna. Hic afferet victis opem?
Res hic jacentes eriget? Nullas habet
Spes Solyma ſi tales habet.

Benaſ. Fraudes timet
Rex ipſe. Servum haud dedecet Regem ſequi.

Nabuz. Danda eſt ſed illi venia: plus æquo ſolet
Parens timere, Metueret utinam minus,
Minuſque amaret. Interim promptas tuum eſt
Natis, Patrique ferre ſuppetias. Tuum
Efficere forti, ne viam occludant. Salus
Peribit omnis; ni feras....

Ben. Quid me irritis
Verbis fatigas? Perſequi ſtultum eſt, queas
Quod arte nullâ conſequi.

Nabuz. Vix comprimor;
Quin tibi recidam, hoc enſe, maleſanum caput:
Cordis receſſus vel aperi; tua vel ſtatim
In pœnam abibit culpa. Quæ renuis loqui,
Te mors ſilere coget. At crebris lacer
Verberibus, haſtis, igne, fors cupies mori.

Ben. Indomitus omne perferam lethi genus.
Nec quæ minaris ſæva ſollicitant mala
Mori paratum. Morte nil ſevum magis.

Nabuz. Magnifica verba reprimet immanis dolor.

Ben. Diuturnus eſſe maximus dolor nequit.
Brevitas levamen afferet.

Nabuz. (1) Tuus hic necis Con-

(1) *Denuò mollibus, & blandis verbis conſtantiam illius tabefactare conatur.*

Contemptor animus, fateor, invitum licet,
Mediâque in irâ, pectus ad ſeſe rapit,
Cogitque amare, odiſſe quem vellem. Ergò age,
Conſilia (per me adhuc licet) cautus refer
In melius. Aperit noſtra tibi rurſus ſinum
Sollicita pietas. Salva res eſt; ſi velis
Tibique, & aliis ſapere.

Ben. Vanam hanc exue
Pietatis umbram, Barbari ingenium ſoli,
Moremque ſequere, Rumpe violentas moras.

Nab. Manum quid vltra abſtineo? Nunc nunc ſi libet
[1] exolve pœnas.

SCENA QUARTA.

Sedecias. Hazael. Benaſar. Nabuzardan.

Sedecias ignotus manum librantis ictum cohibet; ſeque vadem pro Beneſare filio ſuo exhibet.

Sed. Siſte furialem impetum. (luat.
Si quod luendum crimen eſt; caput hoc

Nabuz. Quis tale facinus audet? Eloquere quis es?

Sed. Hic cultus humilis: enſe viduatum latus:
Hæc fuſa me circum cohors, qui ſim, docent.
Hoſtis ego captus: (2) Comes hic belli, & fugæ.
(3) At ille, vitam cujus ut tuear, meam

 Pa-

[1] *Furore correptus gladium diſtringit.*
[2] *Hazaelem innuit.*
(3) *Innuit Benaſarem*

Paciſcor ultrò, exceptus a puero fuit
Has inter ulnas, ſobolis & tenuit locum:
Galeas comantes inter, & clypeos tener
Reptavit infans. Martis hinc non firma adhuc
Erudii ad uſum membra: me cæpit duce
Criſpare, gravia tela puerili manu.
Adultus in ſpem patriæ, mecum tulit,
Pericla belli - Cępit heu quoties brevem,
Acclinis haſtæ ſomnum. Jn agmen impiger
Hoſtile, medium ſe intulit quoties, viam
Reditumque pandens enſe....
Nabuz. Sed quorſum hæc? magis
Fuerat docendus, juſta, quid ſævi aggredi
Victoris ira poſſit. Hanc fidens ſui
Probris laceſſit: ſed brevi ponet tumor
Audacis animi, diſcet & frenum pati.
Sed. Quis ſtimulus iras acuit?
Nabuz: Alieno malo,
Suoque, geminam Sedeciæ prolem, ſilens
Detegere renuit, reddere cui Rex parat
Paterna regna, in filios nolens ſcelus
Conferre patrium.
Sed. Forſan ignorat.....
Nabuz. Leves
Obycere cauſas deſine; & quoniam rei
Suſcipere partes libuit, illas ſuſtine.
Nimium quod audax funeri objectas caput,
Nullus Deorum redimet, in lucem tua
Si lingua renuat prodere arcanum. At prius
Feres

Feres flagella, vulnera, admotas faces;
Et ſi quid ultra ſævius.
Sed. Furor exerat
Artes nocendi vel Stygi ignotas, feram;
Dummodo paratas ſolus ego pænas luam,
Vtque omnis in me poſita culpa eſt, ſic ſequax
Me pæna ſolum puniat.
Nabuz. Tibi do fidem
Futurum ut optas.
Sed. Da inſuper me colloqui
Hos poſſe, procul ab arbitris.
Nabuz. Per me licet.
Recede miles. — Certa ſpes animum ſubit;
Sed nulla pietas. Pereat inviſum genus. —

SCENA QVINTA.

Sedecias. Hazael. Benaſar.

Sedecias filios alloquitur, ſeque illorum gratiâ ad ſævam mortem ferendam paratum exhibet: Filii precibus, lacrymiſque Patrem à propoſito conſilio removere conantur. Tandem decernunt operam illius prævertere.

Sed. Hic cardo rerum: Hæc ſumma. Si ſileam, manet
Me ſæva cædes. Si loquar, veſtrum caput
Expono gladiis. (namque ſimulato tegit
Dux ore fraudes: Noſco fallacem virum)

Paciſcor ultrò, exceptus a puero fuit
Has inter ulnas, ſobolis & tenuit locum.
Galeas comantes inter, & clypeos tener
Reptavit infans. Martis hinc non firma adhuc
Erudii ad uſum membra: me cæpit duce
Criſpare, gravia tela puerili manu.
Adultus in ſpem patriæ, mecum tulit,
Pericla belli - Cepit heu quoties brevem,
Acclinis haſtæ ſomnum. Jn agmen impiger
Hoſtile, medium ſe intulit quoties, viam
Reditumque pandens enſe....
Nabuz. Sed quorſum hæc? magis
Fuerat docendus, juſta, quid ſævi aggredi
Victoris ira poſſit. Hanc fidens ſui
Probris laceſſit: ſed brevi ponet tumor
Audacis animi, diſcet & frenum pati.
Sed. Quis ſtimulus iras acuit?
Nabuz: Alieno malo,
Suoque, geminam Sedeciæ prolem, ſilens
Detegere renuit, reddere cui Rex parat
Paterna regna, in filios nolens ſcelus
Conferre patrium.
Sed. Forſan ignorat......
Nabuz. Leves
Obycere cauſas deſine; & quoniam rei
Suſcipere partes libuit, illas ſuſtine.
Nimium quod audax funeri objectas caput,
Nullus Deorum redimet, in lucem tua
Si lingua renuat prodere arcanum. At prius
Feres

Feres flagella, vulnera, admotas faces;
Et ſi quid ultra ſævius.
Sed. Furor exerat
Artes nocendi vel Stygi ignotas, feram;
Dummodo paratas ſolus ego pænas luam,
Vtque omnis in me poſita culpa eſt, ſic ſequax
Me pæna ſolum puniat.
Nabuz. Tibi do fidem
Futurum ut optas.
Sed. Da inſuper me colloqui
Hos poſſe, procul ab arbitris.
Nabuz. Per me licet.
Recede miles. —— Certa ſpes animum ſubit;
Sed nulla pietas. Pereat inviſum genus. ——

SCENA QVINTA.

Sedecias. Hazael. Benaſar.

Sedecias filios alloquitur, ſeque illorum gratiâ ad ſævam mortem ferendam paratum exhibet: Filii precibus, lacrymiſque Patrem à propoſito conſilio removere conantur. Tandem decernunt operam illius prævertere.

Sed. HIc cardo rerum: Hæc ſumma. Si ſileam, manet
Me ſæva cædes. Si loquar, veſtrum caput
Expono gladiis. (namque ſimulato tegit
Dux ore fraudes: Noſco fallacem virum)

Fatalis urget ſortis adverſæ rigor
In fata natos, vel Patrem. Vtra mors ſit mihi
Potius ferenda, neminem veſtrum ſinit
Latere, patrius amor. Extremum id peto,
Genitorque jubeo, funus intrepido ut meum
Spectetis oculo; lacryma nec furtim genas
Irroret ulla: Fortè ne ſi (quod diu
Nequit latere) fata poſt, noſcar; necis
Pretium omne pereat, ſanguine & noſtro ſatos
Vos eſſe pateat.

Haz. O ferox juſſum! O dolor!
Hircana catulis non tigris dirum hoc nefas
Jubeat.

Ben. Parato vulneri opponam ſinum.
In prole primos impetus franget furor.

Haz. Vitæ ſupremo in cardine, adjungi tibi
Permitte comites. Quos preire fas erat
Genitoris umbram, liceat, ah ſaltem, ſequi.

Sed. Fruſtra ergo gladiis cæſus occumbam? Cadam
Victima & inanis? Has Patri meritas vices
Refertis ambo?

Ben. Me ne culpari ut reum
Cladis paternæ? Pande jam noſtrum genus.
Te redime noſtro ſanguine: en ultro emicat
Ardetque venis fluere,

Haz. Nos ſatius mori eſt,
Quam trahere vitę indecoris inviſos dies.

Sed. Exuite mentem hanc. Omnis incaſſum labor,
Niſuſque recidet. Parte qua cupit ſui
Supereſſe Genitor, vivat.

Haz.

Digitized by Google

Haz. Ita nos deſeris
Mediis in undis?
Ben. Inter incerti maris
Fluctus minaces quò feret curſum duce
Viduata navis?
Sed. Quos pede irato premit
Adverſa; rurſus evehet, faciles habens
Fortuna reditus. Profuit multis capi.
Repetite avorum exempla, quos tulit altius
Preceps ruina.
Haz. Conteget noſtrum latus
Quis inter hoſtes?
Sed. Potior armatis viris
Pietas inermis. At rigat cur degener
Ploratus ora? Abite: mea virtus labat,
Mollitur aſper pectus obdurans rigor.
Impenſum amori jam ſatis.
Ben. Nova mens ſubit
Suadetque, Patri ut conſulam
Haz. Greſsus trahit,
Urgetque facinus, legis impatiens amor;

Finis Actus Secundi.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Nabuzardan. Hazael. Benaſar.

Filii Sedeciæ, ut Genitori ſuo vitâ periclitanti conſulant, ſe ipſos, ſuamque conditionem Nabuzardano detegunt.

Haz. QUos opere quæris irrito, captos tenes.
Nabuz. Quid audio! Sedeciæ an proles jugū
Servile ſubiit? loquere cur ſpem diſtines?
Abrumpe diuturnas moras. Facti modum,
Seriemque pande.
Haz. Quam vides, Sedeciæ eſt
Miſeranda ſoboles, germen infelix domus
Felicis olim.
Nabuz. Quam video? ſic vos capit
Ambitio, veſtris ut male aſſutis dolis,
Facile putetis poſſe me capere. Hactenus
Silere quæ cauſa impulit? Quæ nunc loqui?
Ben. Dicam quod eſt. Impune dum potuit genus,
Nomemque noſtrum contegi; odioſum genus,
Noſtrumque nomen teximus. Sed nunc vetat
Aliena cædes imminens. Noſtra haud ſalus
Tanti eſt: avitum concidit poſtquam manu
Sceptrum paternâ, Quis etenim tam magno emat,

Diù eſſe miſerum. Quid quod ad regnum via
Si hæc una ſupereſt, regredi ad regnum hac via
Uterque renuit?

Haz. Sibi ferens legem, & ſuos
= Virtute mores temperans, regnat ſatis.
= Nil ſceptra proſunt, exprobrat cum mens ſibi
= Regni pudenda exordia.

Nabuz. Ad regnum gradum
Laudando modica ſæpè ſibi facit latens
Cupido.

Ben. Fraude quis brevi, quam vix dies
Non retegat una, ſibimet ad ſolium putet,
Iter patere? Nos ſtatim doli arguet
Captiva turba, quæ frequens jam nunc terit
Babylonis altę ſemitas, illuc tuo
Tranſvecta juſſu.

Nabuz. Poſſe, quę demens cupit,
= Se quiſque credit: remque metitur ſuis
= Maleſana mens, votis.

Ben. Niſi id quod veritas,
Pietaſque cogit nos loqui, vacet dolo;
Laceros per artus pigra mors erret diù,
Tumulique honore careat abiectus cinis.

Haz. Crede mihi, tacita, mortis alienę metus,
Reſeravit ora. Parce tu libens iis,
Silere juſſit quos fides. Nec apud ſcythas,
Lybicaſque gentes crimini virtus datur.
Vbique ſua laus eſt honeſto.

Ben. Vtinam pedem
Hinc referat ille munere indemnis tuo,

No-

Noſtrum redemit qui caput. Doni memor,
Meritique non ſecus forem; ac ſi priſtinam
Vtrique ſortem redderes.

Nabuz. Veſtrum genus
Si pateat, ut ſpero, annuet votis, brevi
Rediturus huc Rex. Spero quin etiam fore,
Vt vota ſuperet. Læta vos cernet Sion
Repetere ſolium; fædifragus, olim parens
Fuit unde motus. Vana non hæc ſpes erit.
Aliena, veſtros ſceleris expertes, nequit
Inficere mores, culpa. Sibi quiſque eſt nocens =

Haz. Sperare nil audet miſer.

Nabuz. [Spem omnem manus
Succidet ultrix] ſed furens celerem gradum
Huc genitor infert [Experiar an ſit fides
Adhibenda dictis.]

SCENA SECVNDA.

Nabuzardan. Hazael. Benaſar. Eliſama.

Eliſama ſuſpicans quod re ipſa erat, audacter ingreditur; rurſus inſtanter petit ſibi mortem accelerari: comperiens autem Sedeciæ filios, ſuam Nabuzardano manifeſtaſſe conditionem; Sedeciæ adhuc ignoti partes ſuſtinet, ut illius incolumitati conſulat.

Eliſ. ITà ne adhuc meritam necem
Differs roganti? Conſcium cladis diem,
Fugæque teſtem cernere, indigne id ferens,
Quouſque cogar? Nulla ſors mentem ſubit.

Im-

Immanis, atrox, inſolens pœna, & cui
Plaudat Tyrannus? Mortis inſuetas vias
Ego met docebo.

Nabuz. Ne feras ægrè moras.
Occulta proles patuit. Hæc Regis ſciet
Mollire pectus. Primus ætatis decor,
Suaſque morum candor illecebras habet.
Vel media in ira, & ipſe nam Pater eſt, memor
Sobolis amatæ; ne det exemplum ſibi
Poſtéa timendum, tela proiiciet manu.

Eliſ. Genus eſſe noſtrum ſe inquiunt. Quod ſint tamen
Eſt tota penes ipſos fides. Neutrum hactenus
Noſſe tibi licuit. Quin ego ignotus. Retrò
Sublapſa quippe res erat; jamque imminens
Solymea clades, cum ſuis te Rex ducem
Præfecit armis.

Nabuz. Jam tuus fruſtrà eſt labor.
Quid dubius hæres? Agedum in amplexus rue,
Teque geminatis oſculis patrem proba.

Eliſ. [Comperta ſoboles. Soſpitem, quo ad licet,
Patrem tuebor]

Nabuz. Quæſo te flecti ſine.

Eliſ. Ut flectar? Ante dura cautes africo
Illiſa cedet. Scopulus alterno maris
Frangetur ictu. Ut flectar? Ambos abdico;
Timidos, inertes, generis opprobrium mei.
Ut flectar? Enſem ſi jubes reddi, exigam
Ego ipſe pœnas. prolis ut labem eluat
Paterna virtus. Præmium at noſtra foret

Cecidiſſe dextra. Carnifex guttur loquax
Secabit enſe. Pœna non impar erit
Sceleri. Sed iſta levia. Fors inſtat nefas
Dignum Thieſtæ, quodque pudibundum diem
Retrogredi in ortum cogat. Infandas dapes.
Pateraſque timeo: niſi quod, aliorum ſequi
Exempla renuens, facinus audebit nouum
Ultor ſuperbus. Tot mala arcani fides
Violata pariet.

Haz. Pauca mihi liceat loqui.

Eliſ. Audire renuo.

Ben. Cuilibet dat æquitas
Jus ſe tuendi.

Eliſ. Siccine audes cum Patre
Certare verbis?

Haz. Dulce, quod tua vox ſonat
Nomen parentis, ſuſtinet noſtram ſatis,
Fulcitque cauſam.

Eliſ. Nec ſiles? Celerem gradum
Jube hinc reducant; juſſa nam ſpernit mea
Proles rebellis.

Nabuz. Cedite hinc.

Haz. Juſſum haud moror.

Ben. Abiens id unum poſco, ut in nos ſævias,
Aliiſque parcas.

SCE-

SCENA TERTIA.

Nabuzardan. Eliſama.

Eliſama ne quid intentatum relinquat, pro vita filiorum Sedeciæ, ſervanda, Nabuzardanem orat, ſatagitque ut ſibi mortem impetret.

Eliſ. ARtibus tandem tuis
Juvenile pectus ceſſit. Illos ah prius
Oppetere mortem par erat. Cauſa hęc meas
Excivit iras. Nunc amor, fari pudet;
Sed fateor, iterum conſulere natis jubet.
Spes omnis in te uno ſita eſt. Non id peto,
Cecidere ut unde priſtinum ſortis gradum.
Repetant. Sua magis eſſe nam victor putat
Quæſita bello ſceptra, quam quę ſors tulit,
Nec illud oro, prorſus ut pœna vacent.
Ambos nocentes reddit, invitos licet,
Scelus paternum. Crimen hoc miſeri luant:
Fuiſſe in auras ſtirpe de noſtra editos.
Quod poſco ſolum eſt. Sanguine illorum ut manus
Scelerare parcas. Serviant. Numquid leve eſt
Obire famuli munera, & Dominum pati
Ad ſceptra natos? Regibus quis hoc neget?
Quod ſi cruoris cupidus, in te non adhuc
Reſedit ardor. Plenius noſtris ſitim
Extingue venis.
Nabuz. Deſine & proli, & tibi

Me-

Metiere fruſtra. Suſpicax cogit timor
= Nos eſſe miſeros ante quam ſimus. Mala
= Quin vana fingens, ſępe nos miſeros facit
= Aliter futuros numquam.
Eliſ. Inaniter ſtudes
Lenire vulnus. Si qua te pietas movet;
Si quam meretur innocua proles; jube
Noſtra hæc ſecari membra laniatu effero.
Patris cadaver vulnere effoſſum undique,
Lacerumque, veteris ſit cui prorſus nihil
Formæ relictum, in munus offer Principi
Vix huc regreſſo. Cæde fors noſtrâ ſatur
Torpeſcet ira, Sobolis oblita. Haud ſecus
Pecoris opimi raptor, ingluviem grege
Meliore poſtquam pavit, expulſâ fame
Deponit iras, dente jam laſſo piger.
= At properat huc Sedecias. Quid nam parat?

SCENA QUARTA.

Sedecias. Nabuzardan. Eliſama.

Sedecias poſtquam comperit innotuiſſe ſuos filios, ſe ipſum filiorum amore compulſus detegit; recuſat quippe illis ſupereſſe, quorum vitam ſua morte redimere vehementer cupiebat. Eliſama illius verba, & conatus omnes artificiosè tranſuerit.

Sed. GEminam paraſti victimam. At major deeſt.
Hanc ſponte retego.
Eliſ. (1) Sic palam oſtentas ſcelus? Me

(1) *Eliſama, perindè ac ſi, Sedecias, ſui impos, illum quantumvis præſentem non viderit, Sedeciæ artificiosè occurrit, ejus verba intercipit, eumque graviter increpat.*

Me teſte me ipſum prodis, hoſtique indicas ?
Sceleratus, effrons, hanc fidem Regi exhibes?
Hęccine rependis vile, deſpectum caput ?
Sed actum agis. Quodque tibi placeat in tuo
Scelere relictum eſt, nil niſi ſcelus. Age improbe.
Loquere, quid hæres ? Serò tę cæpti pudet
Criminis.

Sed. Inanes linque jam fraudes. Tuis
Male auſpicatis artibus nimium dedi.
Depone nomen Regis, & larvam exue.

Eliſ. Nomen nec hoſtis invidet. Quorſum exuam ?
An tibi ſat eſſe non adhuc videor miſer?
An ſterile decus hoc, æmulum pectus fodit
Stimulis amaris ? Sceleris at quoniam reum
Turpiſque fraudis me arguis. Si ſic libet
[1] Pœnam hanc ſubibo. In poſterum ne Rex vocer
Prohibe.

Sed. Quouſque impunè mihi ſervus procax
Illudet ?

Eliſ. (2) Ità ne vel tuis ornat comas
Diadema ſervis, murice & tyrio chlamys
Saturata decorat membra ?

Sed. Meus eſt regius
Hic cultus.

Nabuz. Ecquis talia æquo animo ferat ?
Me idoneum ergò judicas, facile queas
Quem capere nugis ? Vile mancipium metus
Sic

(1) *Ironicè.*
(2) *Ironicè.*

Sic nullus urget? Deſine, aut pœnas dabis.

Sed. Quò me redegit ſortis adverſæ furor!
Poſt regna ab hoſte diruta, & raptas opes:
Poſt tot meorum funera, & ſobolem mihi
Revulſam ab ulnis, quamque jam lictor ferè
Habet ſub ictu: Concidit poſtquam ſpei
Quidquid ſupererat; perdidi poſtquam omnia,
Reliquum quod unicè eſt ſuper, mihimet rapi
Me ipſum ſilendo patiar? Aut natos, opes
Et ſceptra, raptor reddat: aut Rex, & parens
Cuique notus, clade quæ ſobolem premet,
Involuar una.

Eliſ. [1] Noſco jam tibi mens labat
Dubioſque ſenſus voluit. At niſi quæ vides
Regale ſertum, purpurę & clarum jubar
Satis eſſe ducas, proferam, quod auferat
Dubium omne. Nonne nuper inſtantem licet
Diris, probriſque, ſęva minitantem licet,
Me uterque natus voce, & obſequio pari
Patrem probavit? Falſa ſimulantem virum
His, his revinco teſtibus.

Nabuz. Nil certius.

Eliſ. Res geſta te coram eſt.

Sed. Meos vel filios
Audax fefellit Ludio.

Eliſ. Tandem tuum
Agnoſce crimen. Noſtra non fuerat ſalus
Quęrenda ſcelere. Perdit in regem fides
Suum omne pretium, ſi quid admiſcet doli Pe-

(1) *Ad Nabuzardan.*

= Perit vel una labe virtutis decor:
= Nec recta prodeſt velle; niſi rectè velis.
Attamen amori quod meo impenſum eſt ſcelus,
Veniam meretur. Inclyte ò Dux hanc rogo,
Supplexque poſco.
Sed. Sed rogas fruſtra. Pudet
Nam ſic mereri.
Nabuz. Nemo ſit quamvis, reum
= Seſe fatetur ſpontè. Nam ſerus pudor,
= Delere culpam, quam nequit, ſaltem tegit.
Sed. Vanum hic morari eſt. Ore cui notus magis,
Quam ipſe ſibi, Phæbus antequam mergat diem,
Nabuchus aderit. Hoc palam, victor tuas
Fraudes refellam. Serius mori haud piget;
Dum non inultus moriar.

SCENA QUINTA.

Nabuzardan. Eliſama.

Aliquantulum hæſitantem Nabuzardanem, Eliſama in errore obfirmat.

Nabuz. Anceps hęreo. [dit ſuę
Notus ne Regi eſt? Loquere. Confi-
Nimis ille cauſæ.
Eliſ. Simulat egregiè quidem;
Sed ſimulat. Arte nomen adſcivit ſibi,
Meamque ſortem, fabulam hanc ad exitum
Ut nempe traheret, fama quam memor canat,

Digitized by Google

Sileatque nunquam.
Nabuz. Quem exitum?
Eliſ. Cupit hac via,
Quam mihi paratam cenſet intrepidè necem
Pro me ſubire.
Nabuz. At unde tam conſtans fides,
Tantus amor ortum duxit?
Eliſ. A puero meę
Aſſuevit aulæ; poſtquam ubi invicti Ducis
Rudimenta poſuit, publicis poſtquam, potens
Conſilio, & armis, pręfuit rebus: ſatis
Expertus illius fidem, & gemina parens
Jam prole Dives, laude præſtanti viro,
Utriuſque curam tradidi. Noſtras vices
Supplevit ille; patris hinc nomen tulit.
Nam patrio amore, ad fortia inſtruxit, nihil
Et molle ſapere, exempla virtutum ſequi,
Teneros alumnos docuit: hos ſecum vię,
Bellique comites duxit. O quantum foret,
Quam clarum ab illis, & mihi, & patriæ decus
Si fata ſinerent. At vetant.....
Nabuz. —— Hęc audii
De ſe fatentem nuper, armatam manum,
Pronamque in ictum cum repulit.——
Eliſ. Has tu breves
Permitte lacrymas. Sum parens.
Nabuz. Natis bene
Sperare jubeo. Sed vale. Aliorſum vocor.
Eliſ. Nunc major inſtat mihi labor. Celeri hinc fuga
Subducere eſt opus Sedeciam. Fidem
Ten-

Tentabo Vigilum. Munus at durum magis,
Regis erit animum flectere, inviſum ſibi,
Mortiſque cupidum, trahere quem invitum dies
Amor coegit ſobolis. Hanc patrem ſequi,
Dux ipſe cuſtos prohibet, & miles frequens...
Audebo quidquid ſuggeret menti fides.

Finis Actus Tertii.

Digitized by Google

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Nabuchus victoria elatus, adverſus Deum inſoleſcit, jubetque ad ſuos pedes trahi Sedeciam cum filiis.

Nabuchus. Nabuzardan.

Nabuc. IMperet olympo Juppiter. Terris meũ eſt
Jura dare. Motus ille cœlorum regat:
Sed regere populos me decet. Maior Jove
Hinc jure dicor. Thure crepitante hinc frequens
Mihi fumat ara, laxat & ſacros focos,
Uſta pecus. Ignes nec mihi obiiciat Tonans,
Sonituſque inanes fulminum, Liparæ ſpecu,
Nulla licet incus reſonet. Ignauus Faber
Licet ore ſtertat lemnius; numquam vacat,
Mea dextra jaculis. His Solyma quondam tumens,
Frontemque tollens arduam cœlo, jacet
Confixa telis: tota ſed nondum jacet.
Rex namque regni magna pars eſt. Veſcitur
Vitali hic aurâ: mente quin tacitus, nova
Fors bella voluit. Semper in pejus ruit =
Animus, libido quem ſemel ſcelerum impulit =
Nabuz. Rex vivit equidem, ſed tuis Regis ſalus
Suſpenſa pendet nutibus. Nemorum invias
Latebras petenti, promptus obieci moras,
In vincla traxi. Divitem hanc prędam datum eſt
Præ-

Præripere nuper. Nobilem tibi par erat,
Reduci parari victimam.
Nabuc. Inviſum genus
In prole ſupereſt gemina.
Nabuz. Et hanc captam tenes,
Frendetque fruſtra clauſa cum catulis fera.
Nabuc. O grande Regis columen: O Patriæ decus,
Mea vota cumulas. Parva vincendi fuit
Laus. Major eſt hęc, qua licet prævertere
Futura bella. Sæva monſtrorum domus
Altrix, parenſque corruet. Tuque interim,
Quot illa ferret monſtra, tot palmas feres.
Vel fata poſt, tibi nova laurorum ſeges
Decorabit urnam. Pignus amplexu cape
Nunc noſtri amoris. Proximus Regi dehinc
Populorum habenas flecte, Tuus hic erit labor
Verſare regni molem. At ego ſortem ſupra
Evectus hominum, thure votivo colar.
Nabuz. Si quid peregi, laude, quod dignum putas,
Repenſum abunde eſt. Magna mihi merces, honor
Regia ſequendi juſſa: Majorem dabis,
Iterum jubendo. Clauſa perpetuo gelu
Penetrabo victor caucaſi horrentis juga.
Nimio peruſtas ſole. pervadam celer
Mauras arenas. Summa non timeo aggredi,
Nec ima renuo. Nulla degenerem dies,
Regio nec ulla me arguet.
Nabuc. Tua jam fides,
Virtuſque patuit. At trahi huc captos jube;
Illorum ut aſpectu fruar; videam & tuæ

Monumenta laudis.

Nabuz. Juſſa, quæ cupis, dedi:
Mirorque reſides tamdiù. Quid ſit more
Ignoro penitus. Pergo... Sed Parens, ſubit
Sobolesque gemina,

SCENA SECVNDA.

Nabuchus. Nabuzardan. Eliſama. Hazael. Benaſar.

Nabuchus, quippe cui erat notiſſima facies Sedeciæ, ad aſpectum Eliſamæ furore corripitur, & Nabuzardanem probris, miniſque à ſe eiicit. Eliſama ingenuè fatetur ſimulationem ſuam, ſed interim nova ſimulatione Hazaelem, & Benaſarem ſuos eſſe filios, Regi, qui illos de facie non noverat, callide ſuadet.

Nabuc. TEne ſceleratum caput
Aſpicio? Frontem tolle. Sceleris, hic pudor
Sit primus ultor.. Pro Dii veſtram fidem..
Illudor. Audes ità ne?.... Quidquid hoc doli eſt.
Non ſic inultum abibit.

Eliſ. Advoluor tuis
Rex magne genibus. Fateor innocuos dolos.
Indutus oſtro fertiles nilo plagas
Fugientis inſtar petii, ut hoſtes fallerem,
Specieque inani captus hoſtilis furor
Mea terga premeret, negligens Regem ſequi.

Si

Si fortè crimen id putas; pęnas luam.
Mors nulla poterit clarior, noſtræ decus
Augere gentis. Tuque progenies mea,
Hęc ſequere fidei exempla: Tibi nunquam ex-
Paterna virtus. [cidat

Nabuc. Id etiam patiens feram?
Tuus ergò uterque natus?

Eliſ. Infelix parens
Hos genui. Et utinam nulla mihi ſoboles foret.
Nimium, feraces patris in luctum piget
Fuiſſe thalamos. Non meos frangit timor,
Animos. Imago nulla me terret necis.
Suetus armis martis adolevi in ſinu,
Mortemque gladios inter, & galeas Ducum
Sanguine natantes, fortia & paſſim virum,
Diſiecta campis corpora, inſtantem tuli
Fronte irretorta, neſcius flecti metu.
Amore flector. Solus eſſem ſi miſer;
Felix viderer.

Nabuc. Qua doles, ferrum exigam.
Vltio parata eſt. Vulneri patuit locus.
(1) Tuque hinc, recede proditor. Fraudi fides
Si certa conſtet, membra diſcerptus, lues
Inique crimen. Laurus haud victrix meas
Arcebit iras.

Nabuz. Labis expertem fidem
Cur non probare liceat?

Nabuc. Hanc factis proba.

 Non

[1] *Ad Nabuzardanem.*

Digitized by Google

Non prius in undas ſol cadat, quam huc per-
Sedeciam ægra, vincla tendentem manu. (trahas
Hac lege vives.

SCENA TERTIA.

Nabuchus. Eliſama. Hazael. Benaſar.

Nabuchus barbara filiorum cæde coram peragenda, Eliſamam, quem falsò illorum genitorem putat, ad Sedeciam manifeſtandum inducere conatur.

Nabuc. QUiſquis es fraudum artifex:
Vel retege Solymæ lateat ubi Rex, quem bene,
Sciteque ſimulas: Enſe vel cæſus cadet,
Te coram uterque natus.
Eliſ. O me perditum.
Nabu. Huc arma ferte milites. Stricto emicet
Mucrone, gladius.
Eliſ. Barbari petite hunc ſinum:
Hoc petite pectus, Si quod admiſſum eſt ſcelus,
Meum eſt.
Nabuc. Sceleſta, magna pars culpę fuit
Soboles; ſit etiam vindicis pænę.
Eliſ. Reos
At unde gnatos noſcis?
Nabuc. Hos genitor nocens,
Satis nocentes arguit. Laudes minor =
Karò æquat ætas, patrias: Prona in malum. =
Sed

Sed vitia ſuperat. Hos tamen, ſi vis, potes
Subtrahere letho.

Eliſ. Nempe ſi letho offeram
Regem, nefandus proditor.

Nabuc. Pactam fidem,
Prior ille fregit.

Eliſ. Crimen imitator ſequar?

Nabuc. Jus habeo in illius caput.

Eliſ. Sed nullum habes
Scelus jubendi.

Nabuc. Miles huc. Fruſtra moras
Quid fando trahimus!

Eliſ. Sic retro fas, & pudor
Abiere? Vos huc pergite ò Nati: ſalus
Vos veſtra, Regis doceat irati minas,
Mollire lacrymis.

Ben. Mene degenerem metu,
Trepidumque letho occurrere, & lethi decus
Violare fletu? Sic mori votum eſt. Manum
Librate in ictus perfidi. Pectus patet.

Haz. Major ego natu, ut primus occumbam, rogo.
Hunc fodite jugulum. Lenta quid ceſſat manus?

Eliſ. Hæc ipſa qua me laude felicem puto,
Lethale vulnus auget. O rerum potens,
O Domitor orbis, cujus imperium timent
Vel qui timentur, nil meas pænas moror.
His parce, nullum quos facit crimen reos,
Quoſque in juventæ flore, magnanimos agit
Virtutis ardor. Qualis ò tibi laus foret,
Quantus honor; ambo munere incolumes tuo,

Si

Si tua ſecuti caſtra, nil pavidi necis,
Pericla ſubeant martis. Heroas tibi
Tuere geminos. Tota me contra ruat
Ultoris ira. Dulce ſic pignus tori,
Hæreſque regni, creſcat in laudes puer;
Vincique ab illo gaudeas, felix parens.

Nabuc. Vana hæc. Id unum loquere, quo prolis ſalus
Peritura conſtet.

Eliſ. —— Integra eſt Regi fides
Servanda primum ——

Nabuc. Renuis, at quoniam loqui;
Exequere miles.

Eliſ. Exequere.

Nabuc. At o quis ſubit?
Videone vel fallor? Sedecias hic eſt.
Agnoſco vultus.

SCENA QUARTA.

Nabuc. Sedec. Nabuz. Eliſ. Haz. Ben.

Sedecias, ex improviſo apparens barbaram cædem intervertit.

Sed. SOrtis exemplum vides,
Vel tibi timendum.

Nabuc. Perfidum cerno, dedi
Cui immerenti ſceptra moderari, meum
Qui vertit in me munus, & bella intulit.

Sa-

Sacrilega bella. Puduit hinc cœlum tuis
Favere ſignis. Pulſus en regno jaces,
Neglectus, æger. Perge nunc: pharios cie
In bella populos, & meum immeritis probris
Numen laceſſe.

Sed. Imperia præcipiti rota
Fortuna voluit. Una nonnumquam dies
Dat ſceptra, & aufert. Si ſapis ſortem time
Nimium faventem, & parcius velo excipe
Auras ſecundas. Forſitan de te brevi,
Palmam alius hoſtis referet. Exemplo cave
Sævire ne diſcat tuo. Nec te efferat
Quod vincla patior. Pronum iter patuit fugæ.
Ter tacitus hinc pedem extuli. Sed ter me amor
Juſſit reverti. Chara tu ſoboles patrem
In vincla cogis.

Haz. Pectoris robur labat
Pietate victum. Fronte qua virtus ſolet;
Subire lethum mens erat. Per te perit
Pars magna laudis.

Ben. Funeri noſtro tuum
Cur funus addis. Ah parens.

Nabuc. [1] Crimen novum,
Novaſque fraudes detego. I mendax procul
Pœnas daturus.

Eliſ. Regis & fugam, meum
Fuiſſe crimen fateor. Infectum velim
Nec eſſe, noſtra quidquid aggreſſa eſt fides.

SCE-

[1] *Ad Eliſamam.*

SCENA QUINTA.

Nabuc. Sed. Haz. Ben. Nabuz.

Sedecias orat pro filiorum ſalute obtinenda, ſed fruſtra. Nabuchus Sedeciam cum filiis in carcerem detrudi mandat.

Nabuc. Dolos quot animo verſat infidum genus!
Pereant ſceleſti.
Sed. Vita ſit regum licet
Regi tuenda; me mihi, indecorem pudet
Vitam rogare. Genere ſed Regum ſatos,
Sceleriſque puros, prima queis ætas viret
Reſpice, & egenos ſubleva.
Nabuc. Stirpem horreo
Diram, nefandam. Semini par eſt ſeges.
Nec lybicus, agnos gignit innocuos leo.
Sed. Fac velle, inermis quid furor queat?
Nabuc. Latens
Aliquando parvus ignis, extemplo domos,
Altaſque turres ambit, & cœlum tegit
Undante fumo. Noſco quid tecum exigas.
Speras futurum, ut aliud ex alio ferant
Bellum nepotes. Verba te cogit loqui
Tam blanda, ſpes hęc.
Sed. Quidquid Iſacidum lues,
Fameſque reliquum fecerant, hauſit furor
Hoſtilis; enſis ſanguine imbuti ſemel

Hau-

Hauſit libido.

Nabuc. (1) Dives eſt tellus opum,
hominumque dives, improbas quæ ſpes alit.
Velox in arma rurſus Egyptus ruet.
Meum eſt cavere. Regna cuſtodit metus =

Sed. Mala, quæ timentur non ſemel præcox timor =
Invehit, & hoſtes ſæpè quos metuit, facit. =

Nabuc. Non eſſe me, qui vana formidem, doces
Satis ipſe. Monſtra hæc auheite; clauſo in ſpecu,
Mortis propinquæ oblivia aſſueſcant pati.

Sed. Ah miſera ſoboles...

Haz. Ora quid fletu madent
Vixiſſe tecum ſi nequeo: præſtat mori.

Ben. Fratris, Patriſque funeri o liceat meum
Preire funus (2). Annue his votis. Decet
Hoc vel Tyrannos.

SCENA SESTA.

Nabuchus. Nabuzardan.

N*abuchus, Filiorum Sedeciæ immaniſſimam cædem, & Sedeciæ excecationem decernit.*

Nabuc. Abeat ut tantum nefas,
Abeat inultum?

N*abuz.* Statue perfidiæ parem,

Di-

[1] *Ironicè.*
[2] *Ad* N*abuchum.*

Dignamque pœnam, quam irroget Regis diu
Cunctantis ira.

Nabuz. Liberos amat. Bene eſt.
Parentis oculos funere inceſtet ſuo
Laniata ſoboles. Lenta ſit cædes tamen;
Ne vulnus ullum lateat ignotum patri;
Neve dolor alter, alterum obruat. Dehinc
Adhuc cruentus clade natorum, illius
Involet in oculos lictor, & ſęva manu
Orbes revellat luminum: hinc carens die
Suum ipſe funus ſentiat; & altè inditos
Animo deinceps, ſemper infelix ſuos
Luctus revoluat. Sic ſtatuo. Pompa interim
Hęc dum paratur; Qua arte ſis tanta ſtatim
Præda potitus audiam [3] Mecum ſubi

Finis Actus Quarti.

AC-

(3) *Ambo tentorium regium ingrediuntur.*

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Nabuchus. Nabuzardan.

Poſt multa ultro citroque dicta de cruenta Filiorum Sedeciæ morte, & Sedeciæ excæcatione. Nabuzardanus Eliſamam, à quo fuerat deceptus, vocat in invidiam apud Nabuchum, quem ſtimulis urget, ut illi mortem decernat. Demum ſe in penitiores ſylvæ latebras recipiunt, voluptatem capiendi cauſa (quod barbarorum eſt) ex Sedeciæ querelis.

Nabu. Canite triumphum. Nunc mihi impediat [comas
Geminata laurus. Decuit Iſacidum ultimas
Spes quoque recidi. Jactet Alciden ſuum
Aſſyria. Ferro, & igne noſtro ſub pede
Procubuit hydra.
Nabuz. Major herculeo eſt labor,
Fraudum feracem vellere ex imo domum,
Stirpemque diram. Diſcat Aſſyrium Jovem
Timere tellus.
Nabuc. Fuerat at populo palam
Ultio paranda. Illabitur nam ſegnius
Audita in animum. Concuti pectus metu;
Trepidare pigro quiſque ſibi venas gelu
Senſiſſet, oculis intuens cæſos patris

An-

Ante ora natos.
Nabuz. Me quoque invaſit timor.
Quin ipſe lictor hæſit ad cladem piger,
Suumque vulnus horruit. Sed tunc magis
Invaluit horror, Hazael cum ſe obvio
Obiecit enſi, perdere indignans preces;
Cæſoque truncus capite, poſtquam ſubſtitit
Quo caderet anceps, pronus in Patrem ruit.
Terrifica rerum nec minus ſpecies fuit,
Vulnere recepto Benaſar, admotam illico
Cum lateri hianti ſanguine opplevit manum,
Taboque late ſparſit adſtantes duces,
Tuamqee chlamydem.
Nabuc. Quod tamen cumulum addidit
Fuit ipſe genitor, vinculis fruſtra ſuis
Adverſus obnitens, gemens fruſtra, & graves
Ab ore fundens murmure incerto ſonos,
Maura ut ſagitta latera confoſſus leo
Frendet, gemitque.
Nabuz. Sævus oh quam, poſt faces,
Orbeſque vulſos luminum, hærentes genis
Fibras revulſit, pluſque quam ſat erat, furens;
Ne cædis atræ cerneret teſtem diem,
Opprobria diris miſcuit, ſuperos vocans
In ſe, vel hoſtes. Hæc quidem viſu horrida,
Placidius auris excipit. Sed te ſatis
Amor tuetur. Eſſe iam certat tuus
Extremus orbis. Nulla gens eſt tam rudis,
Que Numen ignoret tuum.
Nabuc. Rex quem capit

Popu-

Popularis aura, paret, & frontem aureo
Vinclo revinctus, imperia populi ſubit,
= Opus eſt timeri qui imperat. Flectit, ſuo
= Tunc ille nutu ſceptra, cum cogit timor
= Silere vulgus.
Nabuz: Metuo ne vulgus ſequi,
Pejora ſvetum, reſeret os clauſum diu.
Amens dolore Eliſama incendit leves,
Facileſque mentes plebis. Audax te palam
Vocat tyrannum. Lentus audaci viro
Cur fata differs?
Nabuc. Eſſe cum longo miſer
Didicerit uſu, fata tunc nolens feret,
= Pietate ſepè temperat ſeſe rigor,
= Minuitque pęnas ultor, ut plectat magis:
Sit regis interim ſui comes, & manu
Greſſus labantes firmet. Innexi, gradum
Remorante vinclo, pone laurigeras rotas,
Sint pars triumphi. At ecce, ſic juſſi, ferunt
Huc ambo greſſus. Antequam illos colloquar,
Hic ubi receſſus nemoris interior latet
Audire cordis intimos luctus libet,
Ipſoque petere è fonte ſinceras aquas [1]

[1] *Recipiunt ſeſe in Sylvæ latibulum*

SCENA SECVNDA.

Sedecias. Eliſama.

Sedecias furiis actus de Nabuchi immanitate, filiorumque cæde queritur. Curat Eliſama, ut illius furentem animum demulceat.

Sed. SI qua tibi miſeri Regis eſt pietas, cave;
Ne membra prolis conteram, aut fallat pede
Pars ulla chari ſanguinis.
Eliſ. Fruſtra times.
Innocua ſylva hæc, cæde natorum haud madet.
Sed. Itane ad Tyrannum callis innocuus patet?
Cruore ſaltem madeat ah noſtro. Meum
Protrhao quid ultra funus. In me detonet
Fulminea nubes. Faucibus ruptis hiet
Diſciſſa tellus. Aut tegar viuens adhuc,
Acheronte toto. Monſtra, quæ phlegeton alit,
Sæva minus eſſe cenſeo, quam te impie
Spretor Deorum, dire Regum carnifex,
Regalis oſtri dedecus, mundi lues.
Annuere ſuperi, & inferi at quoniam meis
Votis recuſant. Semiruta me duc, rogo,
Pendet ubi rupes. Duc ubi undiſonus fluit,
Rapiduſque torrens. Vel ubi reſonant feris
Horrifica nemora. Littora ubi lambit fretum
Ubi

(1) *Apoſtrophen ad Nabuchum abſentem.*

Ubi rogus ardet. Si negas, dextram amove;
Mihi me relinque. Mortis inveniam viam,
Prȩeunte nullo.

Eliſ. Sæva quȩ pateris mala,
Virtute ſubige. Nil in hanc feritas habet
Aliena, juris.

Sed. Tu quoque haud noſtri ultima
Pars es doloris. Quam piget me non tibi
Geſſiſſe morem. Non adhuc notus, pedem
Nam ſi tuliſſem quo tuus amor, & fides
Iter recluſit, noſtra fruerétur die,
Làniata ſoboles. Quippe Rex juſſit necem;
Oculis ut illam Patris obyceret. Ferum
In vulnus enſes impulit, cladis Parens
Spectator .... At quas ſim licet viſu carens,
Intueor umbras? Noſco confoſſum latus
Vulnere recenti; pulvere aſperſos adhuc
Agnoſco vultus. Sed juvat vel ſic meos
Vidiſſe natos. Vos ſequi oh liceat. Dies
Quid duco inanes. Veſtra ne datur quidem
Lugere ſæva fata. Mihi lacrymas quoque
Abripuit hoſtis.

Eliſ. Comprimat voces dolor.
Quod ſtridet altè conditum vulnus ſinu,
Miteſcet ævo.

Sed. Ah filii. O Rex ſævior
Quocumque monſtro. Verba nec licuit patri
Excipere prolis ultima, & natos ſinu
Fovere amico, triſte cum mortis gelu
Subiret artus. Claudere hos ſaltem rudi

Licuiſſet urna. Membra ne jaceant humi,
neglecta vereor. Munus ah ſupple meum;
At Forſan avium roſtra, vel rabidas feras
Pavere nemoris. Siquid illorum eſt ſuper,
Tu; conde tumulo. Juſta tu ſolve, & vale
Concine ſupremum.... Sicubi invenias, lege
Parentis oculos, marmore atque uno tege.
Lateat, amatæ ſobolis, ubi cineres latent,
Pars aliqua noſtri.
Eliſ. Rex adeſt.
Sed. Saltem hoc tulit
Lactura lucis mihi bonum, aſpectu, horridi
Carere vultus. Quò meant voces, iter
Vellem reciſum.

SCENA TERTIA.

Nabuc. Nabuz. Sed. Eliſ.

Poſtquam Sedecias, & Nabuchus alter alteri multa exprobraverint, Nabuchus Militum diſceſſionem Babylonem verſus, & triumphalem ingreſſum indicit.

Nabuz. (1) DIrige incertum viæ
Ad genua Regis.
Sed. Perculit quinam ſonus
Inſuetus aures? Mene dimitti? & cui?
Re-

(1) *Alloquitur Eliſamam.*

Regum Tyranno nempe, qui chlamydis decus
Regale turpat, vile qui duxit genus
E plebe trivii, qui Diis cultum negat,
Nullaque voluptas quem capit, niſi quam cruor
Alienus affert tigribus.

Nabuz, Demens furit.
Effrons pudoris excutit frenum dolor.

Nabuc. Dejectus omni ſpe miſer, ſuperos quoque
Probris laceſſit.

Sed. [1] Numen ò terris novum,
Quod tulit ad aras cordis inſani tumor.

Nabuc. Rebus fateris me eſſe, quem verbis negas
Nonne igne Solyma nuper incenſa eſt meo?
Sceptra immerenti qui dedi, nonne abſtuli?
Me vix jubente: & nocte perpetua dies
Tibi rapta periit: & utraque eſt ferro tibi
Confixa ſoboles. Bella non Mavors gerit
Magis timenda. Tela non Phæbus vibrat
Validius arcu. Fulmina an dextrâ Tonans
Graviora torquet?

Sed. Fabula invexit Deos,
Queis ſtulte temet comparas. Jactas tumens
Quę plura,; diuum tibi petens cultum, magis
Meminiſſe pudeat. Solyma nam victa eſt lue,
Vos diruiſtis. Jacere in imbelles domos,
Vacuaſque turres miſſiles dextra faces
Scit puer inermis. Sceptra mihi genus dedit
Et longa Avorum, fama quos cœlo extulit

[1] *Ironicè*

Chlamydata ſeries. Hęc tamen, facinus tuum eſt,
Rapuiſſe, miles tabe, cum clypeum ſuper
Marceret æger. Strenuum in puerum necem
Te fateor equidem; terga poſt, vinclis manus
Sed patre revincto: Compara nunc te Diis.

Eliſ. Heu parce dictis, Agere te victum decet.
Dediſce regem.

Sed. Eliſama hinc procul gradum
Feramus aliò. Præſtat infernos ſpecus
Subire potius.... Mente ſed noſtra excidit,
(1) Mihi te jubente, nocte perpetua diem
Fuiſſe raptum [2] Te Jovi certè parem
Laus iſta reddit. Ille nam dextrę regit
Nutu, diei, & noctis alternas vices.
O ſumme Vindex criminum, ò Regum Arbiter.
Tua regna tentat aggredi inſanum caput,
Et parcis iræ, tela nec torquet manus?

Eliſ. Quis te furor agit? Genibus allabor tuis,
Lacrymiſque poſco, verba quæ furiis jacit
Abreptus, amens, ne nova incendant face,
Tibi pectus, ira jam flagrans. Vel ſi novos
Concipiat ęſtus Turbo me contra ruat,
Tenebriſque mergat. ...

Nabuc. Doctus aſſueſcet malis
Dextram hanc metuere.

Sed. Qua mihi incutias metum,
Mors ſola ſupereſt. Hanc cupio. Conviciis
Si

[1] *Sermonem vertit ad Nabucbum.*
(2) *Ironicè.*

Si ſit paranda, congeram in te, quot furor
Sufficiet ori. Plura ſed tamen meres.

Nabuc. Effunde virus omne. Me argutis procax
Laceſſe verbis, ut libet. Fruſtra eſt labor;
Si fata ſperas. Te diù miſerum volo,
Diuque populi vile ludibrium, meæ
Te ferre circum dexteræ, renuas licet,
Vivax trophæum.

Sed. Certa reſponſis fides
Si danda vatum, vera quos nimium loqui
Experior; ira Numinis telum parat.
Quę fuſa in orbem contegit latè ſuis
Nemus omne ramis; aſtra quin ipſa, invida
Obnubit umbra, cęſa ferro vindice
Procumbet arbor. Hæc tui lapſum refert.
Aliena regna qui rapis, Superis negas
Qui ſacra thura, pronus in ventrem, & gravi
Cervice laſſus, ungue calcabis putres
Glebas biſulco; & invias rupes colens
Quos ore mittes, ſtupidus horrebis ſonos.
Hic ordo rerum te manet

Nabuc. Veſtri vident
Quę ſpectra vates, ſperno. Regali interim
Pręcinctus auro tu comas, ſubdes meis
Frontem ſuperbam pedibus, & currum ſequens
Titubante greſſu, Eliſamæ fultus manu
Babylona ſcandes; Plebis audacis jocos,
Hilareſque plauſus fronte demiſsa feres.

Sed. Forſan vel hoſtis ingemet noſtris malis
Pietate victus. Tuque forſan non ſemel

Re-

Reſonare patriis vocibus circum audies
Nomen tyranni.
Nabuc. Perge Dux, pompam inſtrue,
Reditumque adorna militum.
Nabuz. Aſſenſu fremat
Io triumphos, miles. In laudes tuas
Ubique fama laxet auratas tubas,

Finis Actus Quinti.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE